ANTONII HULSII
DVPLEX MANTISSA,

PRIOR OPPOSITA

TELÆ ARANEÆ nuper contextæ
contra FILUM ARIADNÆ
à D. PETRO ALLINGA.

POSTERIOR

Libello famoso & Calumniis cujusdam
Sycophantæ, qui se vocat *Gelasium*
Majorem, i. e. Principem
Derisorum.

LVGD. BATAVORVM,
Apud FELICEM LOPEZ,
CIↃ IↃC LXXVI.

ANTONII HULSII
DUPLEX MANTISSA,

Prior oppoſita *Telæ Aranææ*, nuper à *D. Petro Allinga* contextæ contra *Filum Ariadnæ*.

Poſterior cuidam *Sycophantæ*, qui ſe vocat *Gelaſium Majorem*, ſeu Deriſorum Principem.

Præfatio.

Sudante adhuc prælo, Benevole Lector, *ad ſecundam Editionem noſtrarum Diſputationum de* Theologia Hypothetica, *& nunc ad finem properante parte earum ſecunda, incidêre in manus meas duo Tractatus Belgici. Priorem ſibi vendicat* D. Petrus Allinga, *ſub Nomine* Uytvaard, *ſeu* Pompæ funebris. *Fauſto ſpero omine, celebrandas brevi exequias Theologiæ illius Hypotheticæ & Novitatum, quæ ſatis diu hactenus*

turbarunt pacem Eccleſiæ Belgicæ. A noſtra parte pollicemur, nos iſtam pompam præſentia noſtra cohoneſtaturos; & funus illud, ſi non pallio lugubri (quem honorem proximis amicis deferimus) ſaltem æterni ſilentii voto ad ipſum uſque ſepulcrum comitaturos. Tractatus ille primariò dirigitur in D. Leonardum Ryſſenium, *S. T. D. In præfatione verò aliquoties leviter attingitur* filum *meum* Ariadnæ, *ſed in tranſcurſu tantum inſtar canis bibentis ex Nilo. De* D. Ryſſenio *non ſum ſolicitus. Vir eſt, ætatem habet, reſpondebit pro ſe ipſo. Ego verò mei rationem habens defendo* Filum Ariadnæ *contra futilem illam texturam* Arachnæam. *Idque paucis & non operosè, ut facili negotio admotis ſcopis diſcutiuntur & everruntur id genus inſectorum μηρύματα.*

Alter ſub ficto nomine Gelaſii majoris. *Non mirum, profitetur enim ſe omnium* deriſorum *principem. Si Scripturam in mera vaticinia & periodos cum novatoribus diſtribuere licet, dicam, de hoc Gelaſio & ei ſimilibus prophetaſſe Iudam Apoſtolum, fore ultimis temporibus*

ἐμ-

ἐμπαίκτας irrisores, δόξας βλασφημοῦντας, dignitates convitiis incessentes. *Vltima ab hoc homine bilis evomitur in Amplissimos Academiæ Curatores & Civitatis Leydensis Consules. Qui quàm indignis modis ab eo excipiantur, traducantur, lacerentur, testabitur scripti illius Lector. Idcircò genuinum suum nomen (etsi ex styli virulentiâ satis notum) dissimulavit. Et consultò quidem, nam terrebant vestigia, nec ignorabat longas regibus esse manus. Nec minus debacchatur in magni nominis Theologorum capita*, Voetii, Maresii, Spanhemii, *aliorumque Reverendorum Ecclesiæ Pastorum, qui calamitoso hoc tempore de Ecclesia Christi optimè meriti sunt. Quibus & ego annumeror, tanto contemptu multatus, ut videar veluti* περικάθαρμα & κόσμος *everrendus, qui vel infima Theologorum subsellia premam, indignus, Ecclesiasticæ pacis primus turbator, à discipulis meis contemptus, ad metam non loqui redactus, ab omnibus studiosis rejectus & explosus. Hoc lotio perfusus incedo post CLL. Viros Voetium & Maresium, ut multarum novitatum, quæ in me hactenus tole-*

ratæ

rata fuerint, faber. Quarum Catalogum ex opere meo Catechetico excerpſit Johannes vander Waejen, *quem huic Gelaſio communicavit, ut ex iis deligeret* quindecim, *quas cavillatorio ſuo & mendaci ſtylo exagitatas, ut Heterodoxia mea ſpecimina propinaret vulgo, ad probandum, me, qui novatores novitatis accuſem, eſſe novatorem. Eò ergo res nunc eſt redacta, ut alia novitates defendendi ratio non ſuperſit, quam quæ fit per retorſionem. Vnde ſpes affulget, fore, ut poſtquam deferbuerit iſte ardor, in materiam ſuam primam, unde natæ ſunt, id eſt, in fumum evaneſcant omnia illa novitatum ſomnia.*

Aliud haud leve documentum eſt, ad finem properare iſta molimina, quod cum flectere nequeant ſuperos, acheronta movere incipiant. Quod S. Scripturâ, quod rationibus, quod legitimis mediis, quod conſtitutionibus Eccleſiaſticis ritè obſervatis, quod ſuperiorum authoritate efficere nequeunt, id præſidiis illis & honeſto agendi modo deſtituti, (in ſignum malæ cauſæ) mendaciis, calumniis, obtrectationibus, vilipendiis, deriſionibus, non minus

in

in ſuperiores quàm in inferiores effuſis, aliiſque acheronticis adminiculis tentare ſunt aggreſſi. Quorum peritiſſimus artifex ſingulare ſpecimen nobis dare voluit hic noſter Gelaſius Major. *Talia ergo nunc arma miniſtrante furore, quis ſpem non concipiat ad finem decurrere hanc ſcenam, ut in ſimilibus fieri conſuevit, brevique fore ut Deo propitio priſtina pax reſtituatur Eccleſiæ.*

Quibus autem vindiciis tam acerba Ampliſſimis DD. Curatoribus & Conſulibus famoſiſſimo illo libello illata injuria, ſit ulciſcenda, Ipſorum Prudentiæ relinquo. Clariſſimos Viros, Voetium, Mareſium, Spanhemium *quod attinet, nomina iſta ad tantum celebritatis faſtigium ſunt evecta, ut id genus Sycophantici pulveres ipſorum famam haud magis commaculare queant, ac ſi Soli aſpergerentur. Ego verò, qui in comparatione cum tantis Viris propemodum nihil ſum, ut rectè ait Sycophanta, verriculo indigere videor, quo ſordes undequaque mihi affricatas expurgem. Primarium ego poſt Ampliſſimos Curatores iſtius ſcurræ objectum ſum, in quem*

vomitum ſuum dirigere voluit, idque bifida eructatione, alterâ in perpetuum contemptum, *altera in* fœtida mendacia *vergente. Trioris eructationis alveum non ſiſto. Praterquam enim quod tenuitatis meæ mihi ſatis ſum conſcius, quod nihil penes-me ſit, de quo magnoperè gloriari queam, etſi velim, etiam ſatis ſum edoctus patienter ferre omnis generis vilipendia, modò partibus veritatis prò modulo defendendis non defuiſſe reperiar. Tempora ſcio eſſe mala, imò peſſima. Noveram quantam in caput meum concitaturus eſſem tempeſtatem, cùm primùm iſtam Camarinam movere aggrederer. Nihil mihi θεομαχήσωλα evenit, quod animo non proſpexiſſem. Quibus injuriis, diffamationibus, probris, convitiis, cavillationibus potandus eſſem (uti & hactenus liberaliter potatus fui) non latebat. Sed facti non pœnitet nec pœnitebit unquam, quamdiu animo ſtat ſententia, majorem gloriæ Dei, doctrinæ veritatis, conſcientiæ, officii, quam humani favoris (quem fortè mihi acquirere potuiſſem, ſi novitatum anteſignanis applaudere voluiſſem) habendam eſſe rationem.*

Sed

Sed de Mendaciis *quid dicam? Ea sanè omnimodi silentii supparo tegi (quod quidem amicorum consilium erat) nisi honoris prodigus esse velim, admittendum non existimo. Sunt autem illa duorum generum. Alia* Personam, *alia* Doctrinam *concernunt. Quæ personam spectant, de iis etiam non magnoperè sum solicitus, nam gravissimum crimen quod mihi impingitur, est, quod sim* primus turbator *pacis Ecclesiasticæ. Hoc manifestum mendacium refello responso Eliæ,* 1. *Reg.* 18. 18. *cum ab Achabo accusaretur, quod turbaret Israëlem:* Non ego, *inquit*, perturbo Israëlem, sed tu & domus Patris tui, dum derelinquitis præcepta Jehovæ & sequeris Bahalimos. *Si suarum novitatum Bahalim non coluissent Novatores, nec receptam doctrinam suis figmentis conspurcassent, nec S. Scripturam inauditis interpretamentis depravassent, sarta tecta mansisset pax Ecclesiæ. Obtuli opem meam ad sedandum incendium, quod paresis & apheſis per universam Ecclesiam Belgicam concitaverat, & audio incendiarius. Sed quia pacem non alia ratione quam novita-*

tum exſtinctione recuperandam arbitrabar, ideo noſtris hominibus, qui omni ſtudio ſub prætextu novi luminis, eas inſinuandas cenſebant populo, placere non potui. Præterea diſſimulare non poſſum aliud calidum mendacium, dum pag. 18. Hulſium Advocatum viginti ſeditioſarum poſitionum *criminatus, non quidem à Curatoribus pro mercede conductum, ut Cl. Mareſium conductum ait ad ſcribendam Apologiam pro Canonicis Vltrajectenſibus*, certum tamen eſſe, *addit*, ipſum 1500. florenorum ſummâ fuiſſe remuneratum. *Sciebat Sycophanta, ſe mentiri quantum ad me, ideo ſtylum ſuum ſic temperat, ut attentum Lectorem in ambiguo ſuſpendat, ejus arbitrio permittens, utrum Hulſio an verò Mareſio (nam ex eadem fidelia dealbamur uterque) iſtam ſummam aſſignatam intelligere velit. Sic ſolebat Diabolus, mendacii pater in Oraculis Delphicis ambiguis enunciationibus illudere hominibus. Non ergo mirum, hunc noſtrum ſcurram, γνήσιον iſtius Patris filium, à paterna indole non degeneraſſe.*

Sed alterum mendaciorum genus, quo

Hete-

Heterodoxias accuſantur quindecim *meæ enunciationes in Catecheſin, magis me movet, quarum idcirco breves vindicias hic ſubjungo, & ſic Diſputationibus ſuper Pareſi & Apheſi aliiſque novitatum capitibus hactenus habitis impono finem. Quo autem dicendi genere hunc antagoniſtam refutare debeam, non laboro.*

Vocat ſe Gelaſium *ſeu deriſorem, & quidem deriſorem* majorem. *Honeſtiorem titulum, qualem haud ita pridem* Gamaliel *quidam, itidem Lucifuga ut hic, gerere noluit, utique ſibi conſcius ſe rem agere minimè honeſtam, & idcircò honeſtiore titulo indignum, voluit enim tale adſciſcere nomen, quod cum re conveniret quam ageret. Ergo ut Deriſorem & Sycophantam ipſum tractabo. Nec injuriam me ipſi facere exiſtimo, ſi pro tali habeam qualis vult haberi. Nec peccare contra legem charitatis & officia proximo debita. Nam Gelaſius non eſt proximus meus. Homines pro fratribus agnoſco, non larvas. Et quia* in ſcamno deriſorum ſedere *Verbum Dei vetat, imprimis qui poteſtates à Deo conſtitutas publica contumelia & famoſis libellis*

libellis proſcindunt, quique deprehenſi debita pœna afficiuntur, nolim mihi cum talibus rem eſſe, ne ipſis videar ſimilis. Vnde nec pro fratribus agnoſco tales, uſque dum vitam & mores emendaverint. Tranſeo ad rem, facto initio à filo Ariadnæ.

MANTISSA PRIOR.

Filum illud eo fine à me conſcriptum fuit, ut oſtenderem, qua ratione graſſantes nunc in Eccleſia Novitates tam Philoſophicæ quam Theologicæ adverſarentur Confeſſioni Belgicæ, quam ſe non impugnare profitentur Novatores, ut & olim Remonſtrantes, cum primùm per occultos cuniculos, & per modum indirectum ejus fundamenta ſubrucrunt. Nec enim conſultum ut illud ſtatim agatur directè & hoſtiliter, ſic enim novitatibus occluderetur ingreſſus apud eos qui concordiæ formulas in Synodis Nationalibus conſtitutas venerantur, & in honore habent. Ego verò illud demonſtravi ad ſingulos fermè Confeſſionis Articulos, idque ſub hac formâ: *Hoc articulo doceor & moneor, me non debere credere* &c. Hunc agendi modum carpens *D. Allinga*, aliquoties nomen meum & filum iſtud Ariadnæ in Præfatione ſuæ Pompæ funebris citat, & oſtendere conatur, hodiernis novitatibus non oppugnari Confeſſionem. Videamus ſucceſſum.

1. *Prima citatio* eſt Par. 1. *Id etiam*, inquit, *videre*

videre licet in filo Ariadnæ contexto à Professore Antonio Hulsio, qui ex formulis exsculpit id quod formularum autores nunquam cogitarunt. Et per consequentias exinde educit talia quæ non conveniunt cum Articulorum scopo, imò ne quidem convenire possunt. Id verò est formulis illudere. Gravius peccatum contra formulas committi nequit, quàm si per consequentias ad cujuslibet appetitum torqueantur, nec alio fine legantur, quam ut earum mens obscuretur &c.

RESP. 1. Quod ais, *me ex confessione elicere quod ejus autores non cogitarunt*, certum est. Non enim erant autores illi Prophetæ ut prævidere potuerint, quæ novitates post multos annos grassaturæ erant in Ecclesia. At nosti D. Allinga, esse veritates generales quæ in se includunt particulares. Ut regulæ generales in thesi vel jubent vel prohibent quod in hypothesi præscribitur singulis. Lex Dei dicit, *Non furaberis*. Exinde Achan Jos. 7. moneri & discere debuit, non esse furandum interdictum, etiamsi Moses legis minister nesciverit Achanem unquam furaturum. Sic cum fidei confessio constituat ex S. Dei Verbo Art. XXVII. *Unicum cœtum omnium verè fidelium ab initio mundi ad finem usque congregatum, qui omnes salutem in uno Christo exspectant. In Christo acquiescunt, cum fiducia ad Deum accedunt, de salute sua certi sunt, conscientiam ab omni formidine, anxietate & horrore habent liberam*, ut latius docetur Art. XXIII. Rogo 1. annon ex ista doctrina gene-

generali certissimè concludere debeam, Patres fideles Veteris Test. siquidem fuerint in isto verè fidelium cœtu ab initio mundi collecto, talem habuisse fidem, quâ cum fiduciâ ad Deum accesserint, de salute in Christo venturo fuerint certi, conscientiam ab omni formidine & anxietate habuerint liberam? Rogo 2. Annon exinde concludere debeam, falsum esse quod docet Cocceus: *Spiritum S. fuisse in Patribus fidelibus Spiritum servitutis ad formidinem. Non esse in ipsis operatum eum affectum qui Deo ut Patre & ipsis ut filiis dignus esset. Conscientiam eorum non potuisse acquiescere. Eos habuisse conscientiam peccati, ut accusantis apud Deum, & ab omni ejus communione separantis. Non potuisse eos agere quod agunt redempti, qui gloriantur, & lætantur & habent conscientiam consummatam & liberi sunt. Eos debuisse facere per omnem vitam opera molestissima cum trepidatione, anxietate & metu non mediocri.* Vid. Fœd. Cocc. pag. 290. Ejus Comment. in Epist. ad Col. p. 135. Rom. 228. Hebr. 445. Rogo 3. An autores Confessionis sciverint fore aliquando aliquem Cocceum in mundo qui sic docturus esset? Et tametsi hoc nesciverint, annon nihilominus citatis articulis ex doctrinâ generali de fide fidelium, istam Coccei doctrinam (de qua autores illi, ut rectè ais, nunquam cogitarunt) condemnaverint?

2. Deinde ais, *me talia ex confessione elicere qua non conveniant cum articulorum scopo nec convenire*

nire posſint. Quid hac ſibi velit non video. Vel de ipſis *rebus* elicitis loqueris, vel de eliciendi *modo.* Si prius. Non video, quomodo non conveniant res elicitæ cum articulorum ſcopo. Ex. gr. Ex citatis modò articulis elicio, Patres Vet. Teſt. habuiſſe ex vera fide conſcientiam pacatam & fuiſſe certos de ſua ſalute &c. Rem illam elicitam cum ſcopo convenire ſi negas, neges eadem opera ſolem lucere in meridie. Comprehendit confeſſio in cœtu verè fidelium fideles V. T. qui ab initio mundi ad finem uſque congregantur. Omnibuſque verè fidelibus eoſdem fidei effectus tribuit, certitudinem nempe ſalutis, conſcientiæ tranquillitatem &c. Qua fronte ergo dices, hoc non convenire cum articulorum ſcopo? At ſi eliciendi *modum* cum ſcopo non convenire dicas, diſpiciendum an verum dicas. Ex articulis concludit filum Ariadnæ. *Ergo monemur, ne credamus, ſi quis dicat, Patres non habuiſſe conſcientiam tranquillam* &c. Quis auſit dicere, hoc non convenire cum ſcopo articulorum? Quo quæſo fine facti ſunt articuli? Annon ut aſſertis Theologicis veritatibus diſcamus erroris arguere opiniones contrarias? At ſi jam dicas, neminem hoc docere, Coccei doctrinam talem non fuiſſe, hæc quæſtio alterius loci erit. In filo Ariadnæ, contra quod ſcribis, non nominatur Cocceus, ſed nova Theologia. Si ergo nulla ſit talis nova Theologia, eo melius.

Adeoque

Adeoque cum hæc non sit quæstio juris sed facti, certum est eam esse præter scopum articulorum, ubi tantum deciduntur quæstiones juris. Unde remanet, dispiciendum jam an talis aliqua sit nova Theologia, sive Coccei, sive alterius, quæ doceat contra mentem articulorum. Sic verò à thesi transitur ad hypothesin. At filum Ariadnæ thesin duntaxat tractat. De hypothesi verò illa videat, qui vult, *Discussionem considerationum*, adjectam calci partis primæ nostrarum Disputationum.

3. *Grave*, inquis, *esse peccatum in formulas, si per consequentias ad cujuslibet appetitum torqueantur.* Rectè. At formulæ sunt opus humanum. Quantò gravius ergo peccatum, si ipsum Dei Verbum torqueatur ad cujuslibet appetitum, ut Cocceus illud torquet ad conceptum suum de septem periodis, de fide Patrum, de Decalogo fœdere gratiæ &c. corrumpendo per universam Scripturam mentem Spiritus S. ad conceptuum suorum appetitum, quod illud ipsum est pomum eridos quod tantas excitavit turbas in omnibus fermè fœderati Belgii Ecclesiis, & lapis offensionis, de quo omnes conqueruntur verè Orthodoxi Theologi, qui Verbum Dei in honore habent. An verò consequentiæ, quas filum Ariadnæ educit ex formulis, istius generis sint, nempe non ad formularum scopum, sed ad humanum appetitum accommodatæ, id non supponendum sed proban-

probandum. Citati supra articuli contrarium docent.

4. Ais, id esse formulis *illudere*. Rectè, si nempe consequentiæ sint tales, ut ad conceptuum appetitum eas torqueant. Meritò itaque rejiciunt Theologi consequentias illas Cocceanas ut S. Scripturæ *illusorias*.

5. Ais, Peccatum esse grave, *si non alio fine legantur formulæ, quam ut earum mens obscuretur*. Rectè. Meritò ergo accusatur Cocceanus ille agendi modus, quo mens Spiritus S. ex analogia fidei & textuum ἀσυγκρίτως satis clara & perspicua, in alium sensum eumque longè obscuriorem raptatur, detortis vocabulis ad remotiores significationes, ut hac ratione conceptus appetitui ancillari cogantur. Quod innumeris exemplis in Disputationibus nostris demonstravimus. An verò per consequentiam, quâ ex citatis supra articulis inferimus, Patres V. T. habuisse ex vera fide conscientiam pacatam &c. obscuretur mens formularum, judicent quibus sanum est synciput.

Citatio I. Par. 2. *Mutare autem affirmationes in negationes, negationes in affirmationes. Etiam figmenta nostris verbis substituere* &c. *Sic Hulsius in filo Ariad. pag.* 31. *ubi docet, nos habere potestatem cavendi nobis ne unquam peccemus. Hanc positionem nemo nostrum unquam docuit, sed contrà à nobis cum detestatione rejicitur. Et hæc etiam videtur esse ratio quare Professor in isto tractatu nunquam ostendat,*

ubi talia reperiantur, convictus procul dubio se istas accusationes & detorsiones probare non posse.

RESP. I. Calumniaris D. Allinga, quod dicas me eam ob causam novarum opinionum autores non citasse, quod convictus essem me probare ex iis non posse quod ipsis affingam. Ergo habes me pro homine scelerato & impio, qui data opera contra Deum, propriam conscientiam, & charitatis officia peccem. Si ego de te sic judicarem, nunquid justam stomachandi causam te nactum arbitrareris? Vin' autem scire quare in filo Ariadnæ autores non sint adscripti? Non ibi tracto quæstiones facti sed juris. Ideo neminem accuso. Ut qui locos communes scribit, hæreses veritati opponit, ut contraria juxta se posita magis eluceſcant. Quis verò hanc vel illam hæresin docuerit, quomodo & ubi docuerit, hoc aliud demonstrationis genus est, quod cum priori non confundendum, quia pertinet ad quæstiones facti. Hoc autem labore ista vice supersedere volui, utique existimans, unde & à quibus autoribus istæ novitates ortæ sint, & ubi extent, id satis superque antea fuisse demonstratum.

2. Si ergo scire desideras, ubi ista positio quam detestaris extet, lege libellum, dictum *Bericht*, tibi procul dubio non incognitum, qui pag. 133. tibi indicat locum ubi invenias ista, *nos habere eam facultatem qua cavere possumus ne unquam erremus.* Lege etiam istius libelli vindicias

dicias pag. 24. ubi de materia illa agitur prolixius. Adeo ut videaris ſolus magiſter in Iſraël qui iſta ignorat, vel forte te ignorare ſimulas.

Citatio III. Par. 3. *Fictas poſitiones ſuas cum formulis comparant, & ſic putant ſe poſſe probare, nos à doctrinâ formulis contenta receſsiſſe. Sic procedit D. Ryſſenius. Hunc imitatur Profeſſor Hulſius in filo Ariadna. Qui hoc experietur, quando ipſi probare placebit, nos ea docere qua nobis tribuit.*

RESP. Quod jam dudum à me & aliis factum eſt, id denuò agere non placet. Triginta Diſputationibus oſtendi in quantas abſurditates ſe induat Hypothetica illa Theologia, idque non per fictas conſequentias ſed firmis rationibus ex ipſis autoribus demonſtratas. Sed ſurdis narramus fabulas. Scribitis vulgo, lingua vulgari, cui iſta retegere non expedit, ne intellectu ſuo in abſurditates illas profundius penetrans vobis applauſum deneget, & nuncium mittat. Eſt ergo hæc citatio nihil aliud quam pura puta petitio principii, refutatione indigna.

Citatio IV. Par. 4. Interpretatur mentem Synodi Nationalis ſuper Decalogo; inquiens, Decalogum ſub ratione legis convenire in operatione ſua cum lege naturæ. Sed abſurdos eſſe qui dicant, eam ratione præfationis ſuæ & promiſſionum reſpectu mediatoris, non habere aliam operationem quam lumen naturale.

Addit: *Professor Hulsius illud ostendere vult ex art. 27. Ubi nulla hujus rei facta mentio, nec quicquam ei simile. Vocat illud, admonitionem per consequentiam. Sed non credo, ipsum videre posse istam consequentiam. Saltem eam non ostendit.*

RESP. Si consequentiam meam infringere volebas, debebas saltem dicere, quæ esset illa consequentia, quid concluderem & unde concluderem. Sed non mirum, omnes enim ingenii vires usque adeo exhauseras in Rysseñio refutando ut nihil quod in me stringeres, tibi restaret præter citationem nominis, sed nihil de subjecto. Art. 27. Confessionis loquitur de *Ecclesia Catholica*, quam consistere ait *in cœtu omnium fidelium qui totam suam salutem in uno Iesu Christo exspectant*. Inde inter alia & hanc consequentiam duxi, quod fideles Vet. Test. utique pertinentes ad eundem illum cœtum, non habuerint aliud fœdus gratiæ, quam fideles Novi Test. nempe fœdus illud cujus fundamentum est Christus. Adeoque concluſi, Decalogum ipsis non fuisse fœdus gratiæ, sed tantum ministerium fœderis gratiæ, idque duplici modo secundum Catechesin. Nam si fuisset fœdus gratiæ debuissent quærere salutem suam in Decalogo, quod Pelagianum est. Decalogus nil nisi præcepta habet & promissiones, iis factas qui præcepta observant. Qui aliter de Decalogo philosophantur, illi mihi suspecti sunt Pelagianismi. Si plura super ista

materia

materia à me petis, D. Allinga, adi discussionem meam ad considerationes adscriptas Cl. D. Heydano. Ecce meam consequentiam, quam si tu credis me videre non posse, ego credo te credere quod falsum est. Ego non tantum credo me istam consequentiam posse videre, sed etiam credo me eam posse defendere usque dum tu probaveris me credere quod falsum est, ut tu credis.

Citatio V. Professor Hulsius hic ingenii sui acumen demonstrat, dum decisionem illam (sc. de Sabbatho) *distillat ex trigesimo articulo confessionis, ubi quidem sermo de regimine Ecclesiæ secundum politiam spiritualem, & utrinque in confesso est, quod iste articulus dicit, qui nihil habet de sabbatho, nec de definito tempore divini cultus*

RESP. Nescio quod somnium tu distillas ex tuo cerebro. Controversiam quæ inter doctos est de Sabbatho, ego ex isto articulo non decido. Sed hoc tantum decido, me ex isto articulo discere, quod debeam me præsentem sistere cœtibus publicis ad publicum Dei cultum. Siquidem articulus dicit: *Ecclesiam debere regi secundum politiam spiritualem, quam Deus nos in verbo docuit.* Ad quam politiam pertinere puto observationem Sabbathi, quam ego puto esse de moralitate quarti præcepti secundum Catechesin, nempe cultus Dei publicus stato tempore in Ecclesia. Sed an unus ex septem vel unus ex viginti isti cultui assignandus sit,

non tam ineptus eram ut hoc ex isto articulo deciderem, ut tu mihi improbè affingis, sed peculiarem digressionem ea super re instituì, in qua mentem meam explicui, quæ si tibi displicebat, tuum erat eam refutare, non cavillari super ingenii mei acumine, quod tibi tuique similibus novatoribus, novorum conceptuum fabris & scientiarum multiplicatoribus magis necessarium, quam mihi, qui receptâ Theologiâ sum contentus.

Citatio VI. Hactenus citra heterodoxia suspicionem traditum, duplicem esse justificationem &c. Vid. Heyd. de Causa Dei pag. 699. De Witte contra Socin. Contra hanc Professor Hulsius decisionem cudit ex art. 22. Debuisset hoc exprobrare iis qui approbarunt librum D. de Witte. Sed hi forsan hoc non curabunt, videntes probationem Professoris laborare defectu.

RESP. Prudenter facis, D. Allinga, quod statum quæstionis dissimules. Sic enim faciliori negotio triumphas apud vulgum, quem, utique istius distinctionis ignarum, te decepisse sufficit. Articulus 22. loquitur *de justificatione quæ fit per fidem tanquam instrumentum.* Hanc justificationem agnoscimus unicam, Papistæ duplicem, utpote qui justificationis vocabulum sumunt pro actu morali quo quis ex injusto fit justus, & sic distinguunt inter justificationem primam & secundam. Quam distinctionem omnes Orthodoxi in materia justifica-

ſtificationis hominis coram Deo per fidem rejiciunt. CL. Heidanus citato loco in triplici ſignificatione uſurpari in ſcriptura, ait, vocem juſtificationis. 1. pro *juſtum declarare* 2. pro, *abſoluere à crimine in judicio* 3. pro *juſtum* declarare per juſtitiam Chriſti imputatam fide acceptam. Triplex illa vocis denotatio ad actum forenſem pertinet in oppoſitione ad actum juſtificationis moralem, prout eam ſumunt papiſtæ. Ex hac verò triplici denotatione CL. vir conciliat Apoſtolos, Paulum cum Iacobo. Paulum, ait, loqui de juſtificatione peccatoris per fidem coram Deo, in ſignificatione tertiâ. Iacobum verò non inquirere unde perveniat juſtificatio ad peccatorem, ſed quæ ſit natura inſtrumenti fidei per quam peccator juſtificatur, nempe non fides mortua, ſed fides efficax per bona opera, ita nimirum ut & per opera poſſit homo juſtificari, i. e. declarari juſtus, & agnoſci pro inhærenter juſto coram hominibus ſicut per ſolam fidem juſtificatur peccator coram Deo. Et ſic apud Jacobum ſumitur vox juſtificationis in primo ſignificatu. Sic rectè. At ego cum CL. Heydano & omnibus orthodoxis rejicio diſtinctionem juſtificationis in primam & ſecundam in ſenſu papiſtico. Et quoniam apud Novatores iterum auditur iſta diſtinctio, meritò eam pro ſuſpecta habeo, non quod eam abſolutè rejiciam, ſed quod ab ea abſtinendum cenſeam quia papiſtica eſt. Idcirco addidi: *di-*

ſtinctio inter juſtificationem primam & ſecundam planè papiſtica eſt, & ſana interpretatione indiget, ſi ad ſanam theologiam ſit reducenda. Hæc verba non diſſimulare debuiſſes, d. Allinga, tum & ex CLL. DD. Heydano & de Witte candidè oſtendere, quo ſenſu illi diverſas vocis juſtificandi ſignificationes admittant, quo ſenſu etiã papiſtæ urgeant juſtificationem primam & ſecundã. Sic animadvertiſſet tuus lector, me non diſcrepare à mente noſtrorum theologorum, ſed papiſticam duntaxat diſtinctionẽ rejicere. Sed ſic etiam te animadvertiſſet calumniatorẽ.

Citatio VII. par. 11. Deus Art. 1. dicitur incomprehenſibilis. Exinde concludit, conceptum de deitate nobis non eſſe innatum. Quaſi non haberemus conceptum vel ideam de deitate, ſi Deitas intellectui noſtro finito ſit incomprehenſibilis.

RESP. Apertè calumniaris, nam te ignorare quæſtionis ſtatum, dici nequit, ſiquidem, ubi iſta legiſti, eum claris verbis explicavi. Per ideam intelligo conceptum adæquatum, quo res ita eſt in mente prout ſe habet extra mentem. Talem dixi, ideam nos de Deo habere non poſſe, quia eſt incomprehenſibilis. An ideo negavi, nos ullum habere conceptum de Deitate? Siccine tu diſputas? ubi pudor?

Citatio VIII. Ibid. *In Dei omnipotentia invenire novit, plures mundos ſimul à Deo creari potuiſſe, ubi tamen ipſe ex eadem omnipotentia colligit, Deum non poſſe facere quod contradictionem involvit. At in*

multi-

multitudine Mundorum est contradictio. Est enim ac si quis diceret, plura esse posse quam unum universum quod continet quicquid creatum est. Hoc in se ipso contradictorium est.

RESP. Næ tu egregiè subtilis est? Quis in pompa tua funebri tibi non primas assignaverit partes, utique tam strenuè de philosophia νεωφύτῳ merito? Totum universum creatum continet quicquid creatum est. Ergo contradictorium est, dari plura universa. Eodem jure ego sic argumentabor, Totus homo continet quicquid est de essentia hominis, ergo contradictorium est, creari plures homines. Ineptis, inquies. Verum est, sed ineptiendo doceo te ineptire. Si vero te sapere, tuamque consequentiam bonam esse judicas, quidni & ego sapere mihi videar, meamque consequentiam de microcosmo æque bonam censeam ac tu tuam de macrocosmo? Sed ut res tibi felicius succedat, quidni cum sociis mundum asseris infinitum, (sed sub tecto epitheto *indefiniti* ne Christianis auribus detur offendiculum) sic habes quod petis, contradictorium nempe esse, plures creari mundos.

Citatio IX. Ibid. *Confessio dicit, Deum unicuique creaturæ dedisse suam essentiam, formam, & figuram. Exinde Professor distillare novit, bruta habere animam, cognitionem & sensum, quasi Deus ipsis non dedisset essentiam, si hoc non haberent, & quasi res vita carentes essentiam suam à Deo non haberent,*

tametsi anima, cognitione & sensu careant. Id genus elegantiis filum illud est contextum. Ex istis speciminibus de textura illa judicium ferri potest.

RESP. Nunc Hulsium protrivisti, mutiorem pisce reddidisti. Plaudite socii. Sed si vir bonus eras debebas candidè, non ex tuo cerebro sed ex meis verbis contra me argumentari. Dic mihi, D. Allinga, auderes ne sine rubore asserere, me ex articulo probare vel distillare (ut tu loqui amas) voluisse, bruta habere animam, cognitionem & sensum? Ecce verba mea *cum dicitur quod Deus singulis creaturis suam essentiam, formam & figuram tribuerit, moneor, nihil denegandum esse naturæ conditæ, adeoque nec brutis denegandam animam sensitivam, quam apertis verbis ipsis tribuit Moses.* Vides, me non ex articulo sed ex Mose probare animam brutorum. Ex articulo verò nihil aliud distillo, quam quod ille me moneat, me non debere quicquam detrahere naturæ â Deo conditæ, ut faciunt illi qui brutis denegant sensum. Quod ego voco sacrilegium æquè magnum, ac si quis dicat, D. Allinga carere anima rationali. Hoc ergo est meum argumentum. Quam essentiam Deus singulis creaturis dedit, ejus non est meum iis quicquam intervertere. At brutis dedit animam sensitivam. Ergo debeo eam in ipsis agnoscere ut donum Dei. Majorem probo ex articulo, nam injurius in Deum & in creaturam est, qui negat creaturæ inesse quod Deus ipsi

ipsi dedit. Minorem verò probo non ex articulo, ut tu mihi affingis, sed ex Mose. Istam probationem aggredi debuisses, si non tam calumniandi quam argumentandi animus tibi fuisset. Sed hic tibi curta supellex erat, vel verebaris ne gradum atheismi acquisivisse videreris, si in hoc argumento ingenii tui vires ostentare tentasses. Sic pulchrè doces lectorem tuum cujus texturæ sit filum Ariadnæ. Sed imperitum te distillationis meæ arbitrum hactenus probasti. Si quam verò distillandi notitiam me habere putes, ego ex hoc tuo sinistro agendi modo distillo, te habere συνείδησιν κεκαυτηριασμένην.

Citatio X. par. 13. In lucem protruduntur libri schismatici &c. Ex hoc lino etiam textum est filum Ariadnæ, quod non tam citò ignem spiritus sentit, quin aduratur: Triumphat veritas satis, cum videat lector quam pueriliter fratres nostri eam oppugnant, & quomodo in confessione ludant, ut eam contra nos torqueant. Comprehendere non possum quomodo professor theologiæ qui deberet esse homo doctus, tale filum texere, & se ejus textorem publicis novellis proclamari voluerit, cum tamen in ista textura nihil sit quod vel veritatem, vel fidem, vel artem vel scientiam sapiat. Cujus ego lectori aliqua specimina ob oculos ponam.

RESP. 1. Quis tulerit Gracchos de seditione quærentes? Quis primus in schismatis periculum conjecit Ecclesiam Belgicam. Novatores ne, an qui pro puritate doctrinæ Euangelicæ decertant? Sed nihil hic novi audio.

dio. Eadem querela exaudiebatur cum Arminiana factio invaleſceret. Qui Eccleſiam Pelagiano dogmate turbabant, erant viri pacifici, qui receptam orthodoxiam tuebantur turbatores Eccleſiæ erant. Sic tu & tui ſimiles eſtis viri, ſcil. pii & pacifici, nos ſchiſmatici, qui ſchiſmaticos libros in lucem proferimus. Ergo per vos non ſtat quominus pax conſervetur in Eccleſia, modo nos taceamus, ſicut nec per lupos ſtabat, quominus concordiam colerent cum paſtoribus, modo hi canes à ſe dimittere vellent. Pulchrum conſilium. Sed iſta cantilena toties nunc pulſavit aures noſtras, ut prudentiores ejus faſtidio capti, ſatis perſpiciant, unde iſtæ turbæ & quid facto opus ut ex Eccleſia removeantur. 2. Cum lino comparas filum Ariadnæ, aduſtum ſcil. ut primum igni ſpiritus fuit admotum. Saltem ab igneo tuo ſpiritu hactenus nihil adhuc aduſtionis contraxit. Quid verò à ſpeciminibus, quæ promittis, exſpectandum, mox videbimus. 3. Quod ais, me publicis novellis textorem iſtius fili voluiſſe proclamatum, calumniaris ſycophanta. Filum illud Latinè ſcriptum publicæ diſputationis materia fuit. Diſputationes verò Academicæ publicis novellis proclamari non ſolent. Quod autem typographus, qui ejus interpretationem Belgicam, quam ego non vindico, adornari, meque inſcio ad faciendum lucrum eam novellis inſeri

ri curavit, quo nomine & à me fuit reprehensus, id sanè mihi non tribuendum. Sed à te tuique similibus aliud non expectabam postquam à tuo ingenio non minus calumniandi quam novandi libidinem haudquaquam alienam, aliorum exemplo sum edoctus. 4. Ludi in confessione, eamque contra vos pueriliter torqueri ais per filum illud Ariadnæ, unde tuis novitatibus triumphum imaginaris. Sed non satis perspexisti, quis sit finis istius fili, nempe ut per ejus ductum ex novitatum labyrintho educerentur homines, cæsis Minotauris. Ariadnes filo è labyrintho evasit Theseus, non autem occidit Minotaurum filo sed gladio. Confessio fidei fili usum primariò suppeditat, sed in eo Ariadnes filo dissimilis, quod præter eductionem ex antro etiam gladii usum cædendis novitatum Minotauris subministrat. Sed hic non fuit instituti nostri finis primarius, nec esse debuit, nam gladio Verbi Dei ista monstra profligandà erant, quod & satis superque nos fecisse arbitramur, antequam istud filum à nobis conscriberetur. Quod tamen non impedit, quominus & ipsa Confessio ex Verbo Dei petita eundem præstet usum, uti, sinon in omnibus (sunt enim loci ubi confessio non ad *refutandum* sed ad *educendum*, unde nomen fili Ariadnæ ipsi inditum, citata fuit) saltem in plurimis demonstravimus. Sed jam videamus ista specimina, quibus ad ignem spiritus

ritus Allingiani filum noſtrum ilicò concepta flamma inſtar lini comburitur.

Citatio XI. Ibid. Primum ſpecimen. *Probat, cognitionem eſſe eſſentialem partem fidei, quia confeſsio dicat Art. 22. Nos credere ut hujus myſterii* (nempe perſonalis unionis cum Chriſto) *veram cognitionem adipiſcamur, Spiritum S. veram in cordibus noſtris fidem accendere, quæ Ieſum Chriſtum cum omnibus ſuis meritis amplectitur.*

RESP. Putaſne filum meum etiam extra ſphæram activitatis poſſe concipere flammam ab igneo tuo Spiritu? modò ſola verba cites, ut demonſtratione non indigeas. Imo dixi & etiamnum dico, ex hoc articulo 22. evidenter probari, notitiam in fide eſſe partem ejus eſſentialem, juxta Catecheſin, quæ eam definit, quod non tantum ſit notitia ſed & fiducia. Idque contra fidem papiſticam, omneſque eos qui fidem, ut hominem altero brachio mutilum, nobis repræſentant, quod Pelagianiſmum redolet, qui fidei Patrum V. Teſt. myſteriorum ſalutis in Chriſto cognitionem derogat. Præcedenti 21. articulo loquebatur confeſſio, non de ſola perſonali unione in Chriſto, ut tu contra conſcientiam tuam effutis, ſed de toto myſterio reconciliationis noſtræ cum Deo per ſacrificium Chriſti in cruce peractum. Subjungit art. 22. *Vt iſtius myſterii cognitionem habeamus, Spiritus S. fidem in cordibus noſtris accendit.* Quis hic præter Allingam tam perfri-

perfrictæ frontis erit, ut negare ausit, in ista enunciatione agnosci cognitionem, ut partem essentialem fidei? Hactenus ergo adhuc nullum incendium, & videtur spiritus ille tuus ignis fatuus, qui ignis quidem speciem habet, vim non item.

Citatio XII. Ibid. secundum specimen. *Nonne hoc elegans? probat, fidem non esse opus instrumentale, quia confessio dicat art. 22 fidem esse instrumentum, quo Christum justitiam nostram apprehendimus.*

RESP. Nonne hoc stolidum? Quod tu qui Theologus & pastor Ecclesiæ es & candidè agere debebas, dissimules subjectum de quo ibi agitur. Disputo contra hanc enunciationem. *Charitatem esse de essentia fidei. Fidem esse opus instrumentale, quamvis non habendum sit illud opus pro perfecta obedientia.* Suspectum nobis meritò est, quod fides quâ justificans (de ea enim hic quæstio est) vocetur opus, sic enim eam vocant Papistæ. Quod vocetur obedientia, sic enim eam vocant Sociniani. Et quis sensus in verbis? *Eam esse opus instrumentale, quamvis non habendum sit illud opus pro perfecta obedientia.* Quid attinet, fidem vocare opus quam nos nolumus in causa justificationis vocari opus, sed ut nudum instrumentum nullius operis rationem habens. Quid attinet, eam vocare opus instrumentale, quod insolens in Theologia, & per se ineptum, instrumentum enim

enim est id per quod opus perficitur, sed non est ipsum opus. Quid attinet, eam negare obedientiam perfectam, quam nos nullo modo volumus definiri per obedientiam, quæ fidem sequitur sed non est ipsa fides. Quid attinet charitati tribuere, quod sit de essentia fidei, quod Papisticum est, à nobis non receptum, qui fidem dicimus efficacem per charitatem, sed non ipsam charitatem, nec charitatem de essentia fidei Dum ergo istas peregrinas formulas reprehendimus in materia tàm delicata, qualis est materia justificationis, in qua primarium κεφάλαιον consistit religionis orthodoxæ, judicet lector sano judicio præditus, annon rectè dixerim, *eas redolere Papismum*, & adversari articulo, qui simpliciter fidem considerat ut instrumentum quo Christum apprehendimus. Per fidem apprehendendi actio est opus, sed non ideo fides est opus, quia est instrumentum quo fit illud opus, nisi quis malleum aliaque instrumenta fabrilia quibus faber ædificat domum, velit vocare ipsam domum quæ ædificatur.

Citatio XIII. Ibid. tertium specimen. *Nonne hoc elegantius? Ex art. 36. probat, expositionem D. Coccei in Psalm. 82. 6. esse perversam.*

RESP. Nonne hoc stolidius? quod nec verba articuli cites, nec Cocceimentem super isto Psalmo, nec quomodo ego ex articulo colligam, eam esse perversam. Articulus sic habet:

habet: *Credimus, reges, principes, & magistratus constituisse, ac velle ut mundus legibus & certa politia gubernetur.* Ad hoc confirmandum, citant sive confessionis autores, sive ejus in Synodo nationali revisores, quod jam perinde. Psalm. 82. 6. *Ego dico, Dii estis & filii excelsi vos omnes.* Quia hunc existimarunt loqui de magistratu politico, quem Deus in mundo ad regiminis politici conservationem constituit. Cocceus verò, quæ autorum confessionis mens esset, minimè curans suique conceptus dulcedine abreptus istum locum detorsit ad suos patres carnis, sacerdotes & doctores veteris Test. sub quorum castigatione & virga tanquam servi detinebantur miseri patres, quasi de iis, non autem de politico magistratu locutus esset Psaltes, etsi hoc ejus menti plane repugnet. Sed Cocceanis conceptibus nihil in Scriptura impervium esse debet. Vide jam D. Allinga, istam quam exagitas, elegantiam. Sed vide etiam tuam temeritatem in carpendo, & inscitiam in repudiando. Si confessionem in honore habebas, debebas parem exhibere reverentiam ejus confirmationi ex S. Scriptura factam, sine qua confessio nihil est. Eam verò videris nunquam inspexisse, quod forte in tuo Psalterio cujus calci adjecta confessio, non extaret. Sed alia tibi erant negotia. Qui novitatibus student, non curant vetera. Confessionem in speciem retinere vultis, ut Ec-

cleſiæ quæ eam in veneratione habet, applauſum retineatis. Ejus verò fundamenta, S. Scripturam ad novos conceptus paſſim detorquendo, ſubvertere non erubeſcitis. Indicio, vos & confeſſionem, & ejus confirmationem, ejus autores, & ejus approbatores pari loco habere. Adeoque non mirum, ſi brevi videamus Confeſſionem fidei ablegatam ad titulum *de legibus abrogatis*.

Citatio XIV. Ibid. *Sit hoc ſuperpondii loco. Probat ex art. 27. legem Decalogi non fuiſſe Patribus fœdus gratiæ. Cum tamen hæc ſententia veritatem iſtius articuli nudiſsimè demonſtrat, & potentiſsimè confirmat. Adeo ut comprehendere nequeam, quo animo iſta chartæ committere auſus fuerit.*

RESP. Virum in ſpeciminibus te præſtitiſti. Et & adhuc ſuperpondia das. Admodum liberalis es. Sed quid dicit articulus? Quid ex eo infero? Quomodo fœdus illud gratiæ continetur in articulo? Hic ſanè, ſi ullibi, ſpiritus tuus igneus incendii fomitem collocare debuiſſet, ubi ipſa confeſſio Ariadnæ filum ſecare tibi videtur, & à tuis ſtare partibus, quam ego à meis arbitrabar. Articulus docet: *univerſam verè fidelium Eccleſiam ab initio mundi ad finem uſque totam ſuam ſalutem in uno Chriſto exſpectare.* Hinc ego concludo, Decalogum non fuiſſe fidelibus V. T. fœdus gratiæ, ſed fidem in Chriſtum, de qua nihil in Decalogo. Jam doce tu me, quomodo inepta illa

la ſententia de Decalogo ut fœdere gratiæ veritatem iſtius articuli confirmet, & quidem *nudiſsimè* ut effutis & *potentiſsimè*. Sed ejus nihil facis, adeo ut comprehendere nequeam, quo animo iſta chartæ committere auſus fueris.

Citatio XV. Ibid. *Hoc adhuc dicere debeo, me attonitum ſtetiſſe ad iſta Profeſſoris Hulſii verba: Doctrina hæc de idea Dei innata homines neceſſariò in Socinianiſmum præcipitat. In atheiſmum verò præcipitat dubitatio, an ſit Deus? His oppono hæc Carteſii verba Epiſt. ad Gaſſendum p. 170. Si idea vox eo modo accipiatur quo diſertè dixi me illam accipere, nec excuſatio quæratur in quorundam homonymia, qui eam ad imagines rerum materialium quæ formantur in phantaſia, reſtringunt, nemo negare poteſt, ſe aliquam Dei ideam habere, niſi dicat ſe non intelligere quid hæc verba ſignificent, res omnium quas poſſumus concipere perfectiſsima, hoc enim eſt quod apud omnes homines Dei nomine venit. Dicere autem te non intelligere quid ſignificent voces omnium ore trita, eſt, te ut alienam oppugnes ſententiam, in miras anguſtias conſtringere. Adde quod hæc ſit omnium quæ fingi poſſunt, maximè impia confeſsio, de te ipſo dicere, eo ſenſu quo idea vocem accepi, te nullam Dei ideam habere. Hoc enim eſt non ſolum profiteri te eum naturali ratione non cognoſcere, ſed etiam te nec fide, nec ulla alia via quicquam de illo poſſe ſcire. Quia ſi nullam ideam, i. e. nullam perceptionem habeas, quæ ſignificatui hujus vocis* Deus *reſpondeat,*

quaneumvis profitearis te credere Deum esse, illud perinde est ac si dicas te credere nihil esse, & ita in impietatis & extremæ ignorantiæ abyssо demersum jacere. Legat Professor attentè, & agnoscet errorem suum quod per ideam intelligat perfectam comprehensionem divinæ essentiæ.

RESP. Non rectè concipis, bone vir, statum quæstionis, imò eum, ut video, totus quantus Cartesianus es, non intelligis. Rixa de *ideis* multum torsit Philosophos & Theologos. Constituebat Cartesius *claram & distinctam perceptionem ut regulam veritatis.* Contradicebat Gassendus, invectè demonstrans, si hæc regula locum habeat, contrarias opiniones forè regulas veritatis, quarum tamen alterutra necessariò falsa sit. Proindeque rectè concludit, loco istius regulæ, methodum potius esse adinveniendam qua certo sciamus nos non falli quoties aliquid clarè & distinctè nos percepisse existimamus. Hanc methodum se invenisse putat Cartesius in ablatione omnium præjudiciorum & enumeratione præcipuarum idearum. Has dividebat in *innatas*, *adventitias*, *factitias*. Innatas, quæ ab ipsa natura imprimuntur menti, easque agnosci putabat per affectatam mentis abstractionem, & menti suppeditari à natura, quando poneretur veluti in statu ignorantiæ per puram negationem cognitionis aliarum rerum, quasi nec mundus esset, nec Deus, nec quicquam. Sic menti pu-

ræ offerri hoc principium naturæ innatum, *cogito ergo sum*, utique clarè & distinctè perceptum. Et in eo fundat istam regulam; *illud omne verum est quod clarè & distinctè percipio*. Hactenus nihil adhuc de Deo, nam postquam hoc principium *cogito ergo sum* posuisset tanquam immobile, utique tam clarè & distinctè perceptum, ut ei regulam superstrueret; eximit sibi dubium Medit: 2. *Sed est deceptor, nescio quis, summè potens, summè callidus, qui de industria semper fallit. Haud dubie & ego etiam sum si me fallit, & fallat quantum potest, nunquam tamen efficiet, ut nihil sim quamdiu me aliquid esse cogitabo.* Hac ergo certitudine clarè distinctèque posita, se esse rem cogitantem, dubitantem, etsi forte nihil eorum sit extra se quæ cogitat, jam Medit: 3. circumspicit diligentius, an fortè apud se adhuc alia sint, ad quæ nondum respexisset. Post primam ergo istam ideam innatam, transit ad secundam de Deo illo deceptore, qui se non possit fallere in prima illa idea, etsi possit si velit, in adventitiis quæ menti aliunde imprimuntur. Atque ita ex occasione Dei deceptoris, transit ad examen, an sit aliquis Deus, & si sit, an possit esse deceptor: Ait *se Dei nomine intelligere substantiã quandam infinitam, independentem, summè intelligentem, summè potentem, & à quâ tum ipse, tum omne si quid aliud extet sit creatum.* Quærit postea, qua ratione istam ideam acceperit. Respondet, *se eam sensibus non hausisse, nec à se*

efficiam, siquidem ei nihil possit detrahere nihil superaddere, ac proinde eam sibi esse innatam, quemadmodum sibi innata est idea sui ipsius, Deique similitudinem in qua idea Dei consistat, à se percipi per eandem facultatem per quam ipse à se percipiatur. Gassendus contrà, ideas omnes volebat esse adventitias, ortas nempe ex rebus existentibus, adeoque nullas esse innatas, ut germanum principium demonstrationis in regulam veritatis ex clarè & distinctè perceptis. Probabat illud primò ex ideis quas de nobismet ipsis habemus, quod non possimus nos concipere rem cogitantem nisi in collatione nostri cum aliis. Tum ex ideis de Deo, quas non recipimus, nisi desumptas ex rebus quas vulgo miramur in nobis, cujusmodi sunt, diuturnitas, potentia, scientia, bonitas, beatitudo &c. quæ quantum possimus ampliantes pronunciamus Deum æternum; omnipotentem &c. Et sanè sic sentiunt sani Theologi, omnem ideam in Deo esse per genesim, omnem ideam in creaturis esse per analysin. Adeoque non aliter ideæ de Deo nobis possunt dici innatæ, quam quod quam primum ratiocinari incipimus ex lege naturali cujus habitus in actum educitur per ea quæ ab extra menti offeruntur, agnoscimus esse legislatorem conscientiæ, quæ cognitio postmodum per meditationem & philosophiam ex rebus naturalibus plurimum excolitur. Nec etiam ipse Cartesius istam ideam de Deo naturalem

aliter

aliter concipere potuit quam ex creatione & conservatione sui ipsius. Ergo non erat sibi innata. Intellectis vero rationibus Gassendi, ipsum *Carneum* vocabat, *dudum* inquiens, *ego protestatus sum, ô caro, nihil mihi negotii esse cum iis qui sola suâ imaginatione non autem intellectu uti volunt.* Triplici ergo modo contra sanam theologiam peccavit Cartesius 1. Quod per affectatam mentis abstractionem ab omnibus rebus extra se existentibus quasi in statu ignorantiæ per puram negationem, in se ipso invenire voluit ideas sibi innatas, easque sic inventas clarè & distinctè perceptas, obtrudere ut Germanum principium demonstrationis. Quasi vel tanta esset perfectio in humana mente ut talis abstractio ipsi sit possibilis, vel etiam sic à Deo condita (citra respectum peccati & erroris cui involuta est) ut sic sese abstrahere sit de ejus officio. 2. Quod in primo affectatæ illius abstractionis actu nullam adhuc inveniat de Deo ideam, quem sive sit sive non sit, sive deceptor, relinquit in dubio, nihilque adhuc inveniat præter ideam sui ipsius, se esse rem cogitantem. Quod adversatur directè menti Pauli, dicentis, gentes natura facere ea quæ sunt legis Dei. Quod si verum, nihil prius in naturali ratiocinio se aperit quam cognitio æterni Legislatoris. Quæ cognitio ad Cartesium non pervenit, nisi per secundum aliquem abstractionis actum. Ergo hactenus erat sine Deo,

quasi nullæ essent κοιναὶ ἔννοιαι de Deo naturæ per modùm habitus naturalis impressæ, ut loquuntur Theologi. 3 Quod dicat, *se ideæ Deitatis nihil posse addere nihil detrahere.* Nempe ut doceat, hoc ideis innatis esse proprium, ut non ex adventitio iis quicquam accedat, unde objecti conceptus sit minus germanus, adeoque minus clara & distincta ejus perceptio & proinde minor ejus dignitas, ut sit demonstrationis principium & regula veritatis. Hoc sane est menti, imprimis in peccato corruptæ nimiam tribuere dignitatem. Gassendus contrà magis convenienter ad sanam Theologiam est philosophatus, nempe, ideam de Deo post habitam aliquam ejus notitiam, à viris piis sapientibusque excoli, qui nunc hoc nunc illud commutent, addant, detrahant, prout agnoscunt, aut edocentur esse divinæ majestati magis consentaneum, ac non debere gloriari hominem, quod obtinuerit ex seipso potius quam ex aliis acceperit eam quam de Deo habet ideam, repræsentantem Deum summum, æternum &c. Atque ita docet, ex ista idea tanquam innata non debere fieri regulam veritatis clarè & distinctæ perceptæ, sed regulam veritatis de Deo esse potiùs principium revelationis.

His expensis, agnoscis, ut spero, quàm longè absis à statu quæstionis. Cum ad art. 1. ubi Deus incomprehensibilis dicitur, de idea loquebar, innatam intellexi & non fallacem

qualis

qualis nunc obtruditur (non de adventitiis & fallacibus quid agere attinebat?) & ex quâ ut ex clarè & distinctè perceptis conficitur regula veritatis. Hoc ut sit, debet conceptus ideæ esse adæquatus subjecto, id est, ut illud ita sit in mente prout se habet extra mentem, aliàs non esset clara & distincta perceptio. Hic non infero, Cartesium fingere talem sibi ideam innatam de Deo quæ sit subjecto adæquata in omnibus quæ subjecto insunt, sed quæ sit subjecto adæquata in omnibus quæ idea innata in ipso apprehendit, aliàs non inesset ideæ clara & distincta perceptio, adeoque nec esset regula veritatis. Et quamvis videatur Cartesius etiam aliquem intellectionis agnoscere modulum & inadæquationem, eam tamen non rectè ipsum agnoscere docebat Gassendus quamdiu statueret ideam innatam divinarum perfectionum, negaretque Dei infinitatem non posse aliter concipi quam per negationem finis. Ecce jam, quo fundamento dixerim, *doctrinam de idea Dei innata hominem in Socinianismum precipitare.* Sic enim mens sua abstractione superbiens nihil vult admittere nisi clarè & distinctè perceptum ex idea innata, reliquis omnibus ideis in dubio positis, quod bellum gerit adversus principium revelationis Quid jam huc facit totus ille textus quem mihi ex Cartesio objicis, quo à suis ideis innatis removet imaginationem, & falsò affingebat suo adversario,

quasi negando Dei ideam innatam qualem fingebat Cartesius, fassus esset, se eum naturali ratione non cognoscere.

CONCLUSIO. *Si liberet, demonstrare possem in isto tractatu varios errores, varias imprudentes positiones, perpetuo perversam si non voluntariam detorsionem sententiæ partis adversæ, perpetuo erroneam applicationem formularum, multitudinem consequentiarum rationis expertium, recessionem à doctrina veterum Theologorum, nimiumque impetum ad excitandas partes in Ecclesia & inter fratres. Sed ea quæ dicta & probata sunt sufficiunt.*

RESP. Si liberet, demonstrare possem te esse temerarium jactatorem & calumniatorem. Sed ea quæ tibi responsa sunt, ad hoc demonstrandum sufficiunt. Si ergo alium incendiarium non sentiat filum Ariadnæ præter igneum tuum spiritum, non est quod ejus adustionem magnoperè metuam, quin contrà persuasus sim, illud hactenus esse malleum ferreum qui omnium novitatum flammas discutiet, usque dum iis exstinctis pax restituatur Ecclesiæ, quam vos homines nimio novandi impetu miserè turbastis.

MANTISSA POSTERIOR.

Hactenus de filo Ariadnæ. Sequuntur enunciationes in Catechesin; quas *duodecim* (plures non invenio) enumerat sycophanta Gelasius, censura, ut ipsi videtur, dignas.

1. Dixe-

1. Dixeram pag. 18. Oper. Catech. *Creaturas divinæ essentiæ duntaxat imaginem habere.* Rogat, rationales-ne an irrationales creaturas intelligam? Si de hominibus loquar, putat me concludere, imaginem Dei tantum consistere in spirituali essentia & immortalitate animæ, non in justitiâ & sanctitate, quod Pelagianum. Resp. Ubi pudor? sycophanta, ubi conscientia? Quare truncas enunciationem, quæ sic habet: *Creaturæ divinæ duntaxat essentiæ, non personæ, imaginem habent.* Loquor de Christo Dei Filio, qui non Dei, ut creatura, sed personæ Patris imago est. Putasne, quando Dei imaginem voco, me excludere justitiam & sanctitatem? Annon ergo in Dei essentia est perfecta sanctitas & justitia? Quis te scurram sic docuit συκοφαντίζειν?

2. Dixeram pag. 37. *infundi animam puram, i. e. sine labe, privatam tamen justitia originali.* Fœdum Pelagianismum vocat *vander Waeyen*, addit socius ejus sycophanta Gelasius, hoc in suis oculis esse Papisticum, ubi justitia originalis statuitur frænum supernaturale, & anima in puris naturalibus pura, etsi sine justitia. Adeoque secundum meam positionem, animam posse amare Deum sine justitia, quod Socinianum. *Resp.* Et tu in meis oculis es sycophanta. Annon vides? me animam vocare puram, non puritate morali sed Physica, quatenus infunditur immunis ab impuritate physica peccati originalis,

originalis, quam contrahit per generationem, non verò per infusionem. Visne eam infundi impuram? Ergo facis Deum autorem peccati. Audivistine unquam, ab homine, cui mens ex sycophantismo non obstupuit uti tua, talem necti consequentiam? Infunditur anima pura, ergo potest amare Deum sine justitia originali? quasi inter infusionem & actum divini amoris non intercederet contractio pravitatis originalis, quæ animam purè infusam ad istum actum reddit ineptam. Quid verò hic nobis negotii cum puris naturalibus Papistarum? cum quibus disputatio est, non de infusione animæ, sed de actibus moralibus ex viribus liberi arbitrii in puris naturalibus. Cave ergo alio tempore ne temerè fidem habeas tuo *vander Wayen*, sed purga cerebrum tuo elleboro ut sanius & æquius judicium ferre queas.

3. Dixeram Ibid. *Animam contrahere labem, cum in ipso creationis momento, unitur corpori, & sic hominem corruptum generare corruptum, ut cum aqua pura infunditur in vas impurum.* Garrit, corpus hic constitui subjectum peccati, dominari corpus animæ, hanc per illud contaminari, contra dictum Christi Matth. 15. *Ex corde promanant malæ cogitationes* &c. Secundum hanc verò positionem eas promanare non ex anima sed ex corpore. Hoc fieri non posse, cum membra corporis tantum sint instrumenta animæ. Si autem fiat, vel illud fieri anima consentiente,

tiente, vel obluctante. Si prius, non posse dici puram, si posterius, fuisse violatam à corpore invitam. *Resp.* Deberes ergo tu Sycophanta nobis alium ostendere modum quomodo propagetur peccatum originale modò illud credas, si tua Philosophia Cartesiana non permittit ut ei acquiescas, quem Theologi Orthodoxi hactenus tradiderunt. Affingis mihi quod non dixi, corpus à me constitui subjectum peccati, dominari corpus animæ. Dixi, *animam contrahere labem, quamprimum cum corpore unitur, & sic hominem corruptum generare corruptum.* Ergo ista corruptio non est simpliciter ab ipso corpore cui anima infunditur, sed à parentibus generantibus. Contrahitur quamprimum infunditur corpori. Rationem verò formalem istius propagationis perfectè definire haud facilius possunt Theologi, ac Medicorum filii quartanæ febris paroxysmos. Simile verò ductum ab aqua pura in vas impurum infusa duntaxat effectum istius propagationis repræsentat, omnibus notum, non verò rationem ejus formalem, nisi quod simpliciter statuant, animam posse agere in corpus & corpus in animam vi unionis hypostaticæ. Sed sic non definitur ratio propagationis. Quod cavillaris de anima invita vel non invita, prodit tuam sive malitiam sive insciti am, sive utramque simul circa doctrinam de propagatione peccati originalis. Anima nec volens nec nolens contrahit istam labem

labem, siquidem eo ipso momento quo creatur & pura infunditur, contrahit, vi imputationis peccati primi. Nulla hic est prioritas temporis sed naturæ duntaxat, adeoque nec voluntatis ad volendum vel nolendum actui locus, qui actus in malum paulatim se prodit, ubi ratiocinari incipit anima, fluitque ex corruptionis habitu per generationem contracto. Nihil aliud ergo ista tua Sociniana cavillatione agis, sycophanta, quod doceas, te ex tua Philosophia de anima factum esse verum Gelasium. i.e. doctrinæ Orthodoxæ derisorem, & fautorem Socinianismi.

4. Dixeram pag. 64. *Pœnam sensus diversos habere gradus, infimum infantium esse, quem per cruciatum non definimus* Cavillatur hic sycophanta, me in inferno scire locum aliquem ubi quis à cruciatu sit liber. Papistas exinde excusulpere posse suum limbum puerorum. *Resp.* An ergo tibi omnis pœna sensus est cruciatus, ut non possit Deus alicui infligere pœnam sensus absque cruciatu? *Cruciari* dicuntur *die noctuque nec habere requiem qui adorant bestiam.* Hinc ego concludo, βασανισμὸν propriè pertinere ad eos qui peccatis actualibus sunt inquinati. Hinc nolui definire pœnam sensus infantium per cruciatum, quo vermis conscientiæ non moriens perpetuo morsu iram Dei & peccatorum commissorum memoriam refricat. Hoccine de infantibus diceretur? Interim

rim tamen etiam pœnæ ſenſus eos ſtatuo obnoxios, utique obnoxios poſitivæ corruptioni. Qualis verò illa ſit, Dei judicio relinquo. Nec puto me tantum iſta expreſſione commiſiſſe crimen, ut tibi ſycophantæ mordaces tuos in eam defigendi dentes juſtam cauſam præbuerim.

5. Dixeram pag. 85. *Fœdus legis cum Iſraële initum eſſe ſtipulationem obedientiæ ad legem naturæ impreſſam, quæ iſti populo in ſcripto fuit renovata.* Exinde concludit: Ergo Iſraëlem debuiſſe juſtificari per iſtam legem quod Papiſticum. Deum, ait, non potuiſſe erigere fœdus operum cum populo qui jam erat maledictus, quod iſtud fœdus violaſſet. Vel iſte populus, inquit erat ſub fœdere gratiæ vel non erat. Si poſterius, erat ſicut aliæ gentes, ſine Chriſto &c. Si prius, cui bono erexiſſet cum eo fœdus operum? Eratne gratia inſufficiens ad ſalutem, quin accederent opera? *Reſp.* Si neſciviſſes, ſycophanta, quoties tuis hominibus ad hoc fuerit reſponſum, condonari tibi poſſet iſta inſcitia. Velles Decalogum eſſe fœdus gratiæ. Decalogus eſt Lex. Nos non agnoſcimus aliud fœdus gratiæ quàm quod Deus pangit cum ſolis electis, cum fidem & opera cordibus eorum inſcribit. Nemo eſt ſub fœdere gratiæ, niſi cui iſta gratia contingit. Sed ſub miniſterio fœderis gratiæ ſunt omnes qui ſunt membra Eccleſiæ viſibilis. Concluſio ergo

tua

tua te ut & aliis tui similibus, verè digna est. Erexit Deus cum Israële ministerium fœderis gratiæ, inculcando opera ut agnita sua impossibilitate, ad fidem in Christum & ad fœdus gratiæ confugerent, ergo justificandi erant per opera. Egregia consequentia. Quasi legis inculcatio alium finem habere non potuisset quam ut per eam homines justificarentur. Sic & illa. Si ministerium fœderis operum erectum fuit cum Israële, ergo erat Israël sine Christo. Imò contrà; ideo non erant sine Christo quia ministerium tale in utraque lege, morali & ceremoniali ipsis erectum fuit, per quod ad Christum ducerentur. Nega hoc & dic te Socini discipulum. Item & illa: Erat populus maledictus ob legis violationem, ergo non poterat ipsis erigere ministerium legale, in quo Dei jus in exigendo, suamque maledictionem agnoscerent. Tandem & illa: Accessit ministerium legale, ergo gratia non erat sufficiens ad salutem. Sed quia tu calumniator cum tuis non vis agnoscere discrimen quod verbum Dei constituit inter ipsum fœdus gratiæ & diversa fœderis ministeria, quæ semper studio confunditis, veriti ne actum esset de factione vestra, & ecclesiæ quam turbastis, pacem esse restituendam, si discrimen hoc agnosceretis, idcircò tales nectis consequentias ad prostituendum doctrinam orthodoxam, quas non adoptasses sed hæreticis reliquisses si non sycophanta sed vir bonus fuisses. 6. Di-

6. Dixeram pag. 96. *Fuisse fidem sub lege, sed doctrinam nondum fuisse.* Hoc si Coccéo excidisset, inquit sycophanta, quomodo vociferatus fuisset, patres V. T. salute privari. Si non fuit, inquit, doctrina salutis, non fuit salus &c, Ibidem me docere, ait, Christum ibi non fuisse, per quem igitur salvati sunt Patres? *Resp.* Debebas verba mea citasse non mutila sed integra, quæ sic habent: *Erat fides sub lege, sed ipsum fidei objectum seu doctrina nondum erat, cum adhuc doceretur lex & sub ea minus clarè Euangelium.* Respondebam Socinianis qui ex loco Gal. 3. 23. *Antequam veniisset fides, sub lege tenebamur conclusi in eam fidem quæ erat revelanda,* concludere volebant, patres non habuisse fidem quia erant sub lege. Regerebam, per fidem ibi intelligi doctrinam fidei vel ipsum Christum sub œconomia gratiæ per metonomiam adjuncti pro subjecto, ut patet in hoc *venire*, nam ipsa fides non venit sed datur. Vides, *fidem* hic notare doctrinam fidei, qualiter illa fuit proposita sub œconomia N. T. post Christi adventum, in oppositione ad œconomiam legis ante Christi adventum, in qua non proponebatur doctrina fidei sed operum, eo fine quo dictum suprà. Docebatur autem ut dixi Euangelium minus clarè sub lege, nempe per typos, ceremonias, vaticinia, ita tamen ut ista doctrina sufficeret ad generandam fidem in cordibus fidelium. Cum ergo dicerem fuisse

fidem sub lege scil. eam per quam salvabantur Patres, etsi nondum apparuisset in mundo fidei objectum Christus, qua fronte rogas, sycophanta, *per quem fuerint servati Patres si Christus ibi non fuit?* Responde: Hoc rogavi, quia volebam esse sycophanta.

7. Dixeram pag. 98. *Deum fuisse patrem Fidelium V. T. etsi demum in N. T. sub isto titulo (qui legis œconomiæ non conveniebat) innotescere voluit.* Concludit Sycophanta, non potuisse ergo patres invocare Deum sub titulo patris. Non convenire hoc cum Deut. 32. *Nonne pater vester est?* Es. 63. *Tu es pater noster* &c. Num forte Moses peccasse censendus, quod Deum compellaverit Patrem, qui sub isto titulo innotescere nollet? *Resp.* Næ tu egregius consequentiarum architectus es. Arguebant [illegible]uani, Deum demum in N. T. vocari patrem in Christo. Unde concludebant, [illegible]optionis gratiam tantum in N. T. manifestatam fuisse. Respondebam, pertinere hoc ad œconomiam fœderis gratiæ quod in N. T. descriptum est. Ergo aliud est, Deum gerere patris titulum, aliud, eum invocari ut Patrem. Prius ad œconomiam spectat, posterius ad actum Fidei. Sed dolebat quod non facerem decalogum formulam fœderis gratiæ. Dic autem mihi, sycophanta, cum Deus præteritis annis ecclesiam Belgicam ob peccata sua gravissimis calamitatibus castigaret, seseque nobis non ut patrem

sed

sed ut justum judicem demonstraret, annon tamen fidelibus eum tum invocare licuerit ut patrem? annuis? Ergo vides quam non minus stolida quam Sycophantica sit ista tua consequentia: non innotescit Deus ut pater, ergo non est invocandus ut pater. Quasi actus fidei cessare deberet in fidelibus, dum Deus sua exercet judicia in mundo.

8. Dixeram pag. 102. *Frustra alicui acceptandum offerri beneficium quod ipsi non est destinatum.* Concludit: ergo frustra offerri reliquis civitatis & fidem reprobis, & sic justificari convitia Remonstrantium, Deum illudere peccatori dum conversionem imperat ad salutem quæ tamen ei non sit destinata. *Resp.* Nihil voluisse esse Sycophanta, offendisse qua occasione hoc dixerim, impugnabar contra decretum Dei universale, omnes homines salvandi per Christum, idque ex hoc tertio, quia sic debuisset esse decretum omnes homines redimendi per Christum. Hanc propositionem confirmari ex eo, quod frustra alicui acceptandum offertur beneficium quod ei non est destinatum. Salus est beneficium. Hoc non potuit in Dei decreto offerri omnibus hominibus, quia non est destinatum omnibus hominibus, ut patet in decreto redemptionis quod tantum particulare fuit. Sapientis est non extendere finem ultra media, quia inter finem & media debet esse proportio. Aliud ergo est, offerri homini be-

neficium in Dei decreto quod ei non est destinatum, aliud illud offerri in prædicatione evangelii. Prius omni modo esset frustraneum, adeoque cum Dei sapientia conciliari non potest. At posterius non est omni modo frustraneum, sed tantum frustraneũ, respectu hominis cui offertur, sed non respectu Dei qui sua judicia aggravat in peccatorem, dum oblatam gratiam quam Deus ei non destinavit, repudiat, quidem peccatoris officium erat eam amplecti, si salvus esse vellet. Adeoq; impiè loquuntur Remonstrantes, quod illudat homini, dum non destinatam gratiã ei offerre jubet. Interim axioma semper verum est, frustrà offerri beneficium non destinatum. Nec illud negant Remonstrantibus orthodoxi, sed negant, Deum idcirco dici posse hominibus illudere, etsi oblata gratia nullũ habeat effectũ in peccatore, adeoq; respectu peccatoris sit frustranea: Est ergo frustranea illa tua & inscitiæ tuæ indicium consequentia, justificari hoc axiomate convitium Remonstrantiũ.

9. Dixeram pag. 116. *Actum fidei formalem esse applicationem promissionis gratiæ, qua homo statuit non solum ad alios sed ad se quoque eam pertinere.* Hanc positionem dicit esse periculosam, quia per eam desperationem adigitur anima afflicta, quæ sibi Dei promissiones applicare non potest, & esse contra communem sententiam omnium veterum theologorum, & inauditam doctrinam in ecclesia. *Resp.* Num ergo cæcus

cæcus furoris tui impetus, derisor, tibi non permisit ut cogitares, hanc non esse meam sed catecheseos Heidelbergensis doctrinam? nisi forte & hujus autores e veterum theologorum numero excludere velis, ut à Remonstrantibus illud te didicisse haud obscure significes, ad fallendum populum doctrinæ formulas qua formulas esse retinendas & publicè profitendas, ut in corrumpenda doctrina minor sit apud vulgum suspicio. Ergo ista verba catecheseos, *fides est certa fiducia, qua in Deo acquiesco, certo statuens, non solum aliis sed & mihi remissionem peccatorum esse donatam*, tibi sunt inaudita in Ecclesia, & tamen audiuntur in Ecclesia & docentur, quotiescunque in ea explicatur quæstio XXI. receptæ formulæ Catecheticæ. Siccine recedis à doctrina orthodoxa ad Papisticam, & tamen profiteris te orthodoxum? Approbas formulas & novitatis accusas formularum dogmata? Saltem, si tantillum candoris tibi reliquum fuisset, non me hic sed Catechesin quæ quod in me carpis, docet, accusare debuisses. Sed hoc ob rationem jam dictam callidè dissimulandum fuit. Nam poteras esse impunè sycophanta, sed non poteras impunè recedere à formula Catechetica, quod hactenus nondum consultum. Sed quid rationis audio? Posse animam afflictam ad desperationem adigi, quia sibi non possit per fidem applicare promissiones. Ergo ratio formalis

actus fidei non consistit in applicatione promissionum. Næ tu eximius Theologus es! Cæcus non videt lumen, ergo effectus Solis non consistit in illuminatione. Quis te sic nugari docuit? Quis Medicorum illius ubi concedet? Rheubarbarum non esse medicamentum purgans, quia dantur ægri qui istum effectum non sentiunt. Si anima vere fidelis sit, non posset fidei actus ipsi interverti, etsi nonnunquam possit suspendi. Sed sic exigebat nova illa doctrina de fide patrum, quibus affingetur fides non applicans promissiones, papistica, trepidans. Quæ falsa hypothesis ut hunc errorem præcipitavit nostros novatores, similes hominibus qui ictericismo laborant, quibus objecti colores videntur flavi, quia oculi eorum illo colore tincti sunt.

10. Dixeram pag. 298. *Deum a parte sui potuisse de jure suo remittere non puniendo peccatum.* Hoc, ait, esse purum Socinianum, siquidem Socinani ad evertendum fundamentum satisfactionis Christi, docent, Deum posse sine satisfactione peccata remittere, contra doctrinam Catecheticam quæst. 40. *Resp.* Vel nescis statum quæstionis de satisfactione, vel eum dissimulas. Si posterius, es sycophanta, si prius, debebas eum discere ex Cl. *D. Hoornbeeck* Tom. 2. Socin. Conf. p. 533. ubi hanc materiam illustrans citat & approbat sententiam *Twissi*: *Necesse est*, inquit Twissus, *ut omne peccatum*

catum Deo displiceat. *Scelerate agenti deberi pœnam, & ex natura rei & ex constitutione divina. Ex natura rei hoc sensu, ut sceleratus evadat dignus in quem animadvertatur. Deum esse naturaliter justum, sicut naturaliter misericors & liberalis, sed neque necessitate aliqua fertur ad exercendam suam misericordiam & liberalitatem, neque ad justitiæ suæ specimen exhibendum.* Punire peccatum *severitatem* in Deo vocat Cl. Hoornbeeck *proprietatem naturalem.* Hinc ego statum quæstionis constitui distinguendo inter *justitiam punitivam* & *punitionem peccati.* Justitiam punitivam Deo dixi naturalem, at peccati actualem punitionem, siquidem energema est extra divinam essentiam, non habere locum nisi intervenientе Decreto. Ergo Deus necessario punit peccata, non necessitate absoluta & naturali sicut ignis necessariò urit, sed necessitate hypothetica, qua intervenientе decreto naturalis proprietas exerit se in effectum. Ad quæstionem ergo, *an ideo tantum puniat quia decrevit punire, adeo ut potuerit illud non decernere, an vero præter decretum adsit aliqua puniendi necessitas, adeo ut non potuerit penam non decernere?* Respondeo

p. 296. *Colligimus a parte Dei nullam esse puniendi necessitatem, nam non-punitio in finem ultimum non incurrit, nec ullam in Deo involvit contradictionem. Asserimus autem necessitatem esse a parte rei & ab hinc punitionis negationem involvere contradictionem. Unde concludimus, non potuisse Deum non de-*

cernere pœnam peccatoribus, quod rectæ rationi cujus ipse Deus autor est, illud repugnet, ut condere bonem non rationalem, constituere corpus non quantum &c. Et ex hoc principio etiam respondeo ad arg. Socin. p. 325. *Potuit*, inquiunt, *Deus de jure suo remittere.* *Resp.* adversari hoc justitiæ divinæ. Etsi enim Dei naturam non evertat, nec in finem ultimum incurrat de jure suo remittere cum Deus si agens liberrimum, contradictionem tamen involvere à parte rei. Jam quid dicit Catechesis? *justitiæ & veritati Dei nullo alio pacto pro nostris peccatis potuisse satisfieri, quam morte filii Dei.* An hic docetur, involvi contradictionem in Deo si non puniatur peccatum? minimè. Nihil involvit contradictionem in Deo quod sit vel non sit extra Deum & à Dei decreto pendet, sed illud duntaxat quod se habet antecedenter ad decretum, ut si dicam, Deum posse fallere, mentiri, mori, seipsum abnegare. Dei justitia & veritas, inquies, sunt ipse Deus, ergo involvit contradictionem in Deo, si non habeant suum effectum. *Resp.* Negatur sequi. Sunt ipse Deus quatenus sunt proprietates subjectivè consideratæ in Deo, sed non consideratæ objectivè quatenus feruntur in aliquod objectum extra Deum, de quo hic quæritur, sic enim præsupponunt decretum. Sic non conservare mundum non evertit Dei naturam, potest enim libere illud intermittere ut liberè conservat, attamen à

parte

parte rei, & ex hypothesi decreti creationis, non potest non conservare. Punit ergo Deus necessariò peccatũ, non tantum ex decreto puniendi, sed ex hypothesi antecedentis decreti, de homine creando & permittendo lapsu. Sic non potuit non adjungi decretum de puniendo utique necessarium à parte rei, non à parte Dei seu divinæ naturæ in se consideratæ. Et hoc sufficit refutando argumento Sociniano, Deum posse de jure suo remittere postquam decrevit creare hominem & permittere peccatum, quod falsum. Quomodo ergo favere dici possum Socinianis, si eorum argumenta refutem? Si hæc penitius introspicere voluisses, liberasses tuum lectorem à suspicione quam ipsi contra me voluisti injicere, nec aliud inde detrimentum habuisses quam quod non fuisses sycophanta.

11. Dixeram pag. (non 506. ut ille sed) 586 *Sacrificium propitiatorium nullam sanctitatem recipiebat ab altari, sed altare à sacrificio.* Hanc dicit esse positionem insulsam imò insanam. Contrarium doceri Exod. 29. 37. *Septem diebus expiato super altari, ut sanctifices illud, sic erit illud altare res sancta sanctorum, quicquid tetigerit altare illud sanctum erit.* Et repugnare notis Belgicis, quæ dicant, *altare sanctificare dona quæ super eo offeruntur, & hoc respectu fuisse altare majus sacrificio.* Christo etiam me obloqui qui mihi dicere possit, *cæce & stulte, quid majus est, donum an al-*

tare donum sanctificans. Matth. 23. 19. Resp. Nisi sycophanta fuisses, proposuisses quæstionis statum, & forte etiam siquid judicii habes, didicisses agnoscere crassam tuam inscitiam. Quæstio erat, an crux Christi potuerit dici ejus *altare*; secundum primam editionem confessionis Belgicæ. Affirmavi: Objiciebatur: Altare sanctificare donum, at crucem non potuisse sanctificare Christum. Ergo &c. Respondi, hoc intelligi de sacrificio eucharistico sed non propiatorio. Christi sacrificium fuisse propitiatorium. Tu contra allegas verba Exod. 29. 37. At quam insulsa hæc allegatio est. Annon videbas cæce & stulte (verè in te quadrat quod in me torques) ibi agi de eodem altari de quo Matth. 23. 19. ut ipsi etiam annotatores Belgæ observant, nempe de altari eucharistico, illustrissimo Christi typo, qui sanctificat omnia nostra dona spiritualia. At debebat istud altare prius esse sanctum antequam sanctificare posset dona. Fiebat ergo sanctum per sacrificia propitiatoria, ut ait textus. Et hoc meam assertionem confirmat, *Sacrificium propitiatorium nullam sanctitatem recipere ab altari, sed altare à sacrificio.* Oportet ergo te fuisse valde cæcum, cum pro causa tua allegabas, quod directè tibi adversabatur. Sed atra lolligo & libellis famosis viros honestos proscindendi pruritus mentem tibi ita offuscaverat, ut hoc animadvertere non potueris.

11. *Inter*

11. *Inter angustias divinæ derelictionis me Christo adscripsisse ait, vermem rodentem & malæ conscientiæ morsum.* A blasphemia ait, non esse liberam hanc positionem. Et me ausum fuisse accusare D. vander Waejen, quod verba Psal. 18. 24. *cavi mihi à peccato meo,* applicaverit Christo. *Resp.* Pessima fide agis sycophanta, non allegando locum ubi hoc dixerim, ne lector crimen falsi deprehendat. Pag. 610. probavi ex Matth. 27. 46. contra Papistas, Christum in anima passum esse, eum exclamavit, *Deus mi &c.* Ait papista, istis verbis non doceri, Christum sensisse iram Dei. Respondi, ipsum sensisse effectu iræ contra peccatum, angores animæ. Ea denotari per derelictionem, Addidi rationem. *Ubi enim Deus suæ gratiæ instaxu non est, quid reliquum sit homini, quam vermis ille rodens & malæ conscientiæ morsus?* Loquor de homine peccatore, in quo derelictio Dei non alium effectum post se relinquit quam vermem rodentem & malæ conscientiæ morsum, idque ad probandum, querelam Christi de sua derelictione aliud quid portendisse quam testimonium innocentiæ, ut vult Papista, nempe *infernalis angustiæ sensum.* Quod ergo argumentum ego sumpsi ab effectis derelictionis in peccatore & confirmavi exemplo Davidis orantis contra desertionem, id tu, iniquum animal, mihi affingis, ac si illud sumpsissem ab effectis derelictionis in ipso Christo. Sed jam de

Vander

Vander Waeyen quod ais, eum egò blaſphemiæ non accuſavi ſuper verbis Pſalm. 18. ſed invictè probavi, phraſin Hebræam ſenſum quem ille fingebat de peccato imputato, non admittere.

12. Dixeram pag. 869. *Eccleſiam defeciſſe in Paradiſo.* Ad probandum, Eccleſiam poſſe deficere. Si hæc, inquit, antiqua & vera Theologia eſt, illam apud Pelagium aut Arminium reperiri oportet, qui docuere defectionem ſanctorum, ſed non apud Synodum nationalem Dordracenam, quæ hanc doctrinam condemnavit. *Reſp.* Prudenter feciſti, ſycophanta, quod vultui tuo larvam obduxeris, ne (ſi non perfrictæ frontis tibi quidpiam ſuperſit) erubeſcere cogaris. Nam nunquam turpius te potuiſſes proſtituere. Et tamen (tanta vis impudentiæ eſt) audacter debaccharis. Non mirum. Sic enim ſolent ſycophantæ, quò imperitiores, eò impudentiores in debacchando. Nimium credulus fuiſti tuo *Vander Waeyen*, hujus pulchræ obſervationis primo inventori, ſed æque ac tu ignaro. Ad expugnandam utriuſque inſcitiam tibi oppono Cl. *Whittakerum*, niſi fortè ille Pelagius iſte ſit & Arminius de quo gannis. Lege apud Whittak. controv. 2. cap. 3. ad quæſtionem. *An Eccleſia poſſit deficere?* & hæc invenies: *Sequitur ut noſtra argumenta proponamus. Et primò quidem illa proponemus quibus Bellarminus cap. 16. conatur reſpondere, quæque*

que nobis vult eripere. Quorum hoc primum est. In initio mundi, in solo Adamo & Eva Ecclesia tota consistebat. Sed Bellarminus tui similis, sycophantam agebat, confundebat enim duas controversias longè à se invicem discrepantes, nempe, *an membra Ecclesiæ invisibilis seu electorum possint à vera fide deficere?* Et, an Ecclesia *particularis visibilis, ut Ecclesia Romana*, &c. *possit totaliter deficere à vera fidei professione?* De posteriori quæstione agebant Theologi, cujus ego statum proposui pag. 813. rejectis argumentis à nostra parte militantibus in pag. 869. Ad hoc ergo argumentum primum de Adamo & Eva respondebat Bellarminus: *Si*, inquit, *primos parentes peccasse est Ecclesiam defeciſſe, tum non solum visibilem, sed invisibilem Ecclesiam defeciſſe, quod est contra adversarios.* Adeoque inde sequeretur, Deum tum non habuisse Ecclesiam. Sic & tu cum papista papizans, respondes. Sed ille ex malitia, tu ex mera insciti, nesciens quid blateres. Ego respondebam: *Adamum & Evam, etsi lapsi essent, fuisse tamen Ecclesiam Dei invisibilem, quatenus electi erant, etiam veram Ecclesiam visibilem, quatenus ilicò post lapsum in gratiam recepti fidem in promissum mulieris semen sunt professi.* Contra hanc responsionem tua ignorantia debacchatur, *totidem in ea esse errores & stultitias, quod verbà. Adamum & Evam sub dominio Sathanæ constitutos hic dici Ecclesiam Dei, cum tamen notum sit in scholis, per Ecclesiam invisibilem*

non aliam intelligi quam eccleſiam membrorum Chriſti. Electionem non facere Eccleſiam inviſibilem &c. Ad hoc pauciſſima verba tibi repono, eaque non mea ſed Cl. *Whittakeri*, quæ hæc ſunt: *Quid ſi illi graviſsimè peccarunt, quid hoc ad rem? num ideo ſequitur, eos penitus à Deo defeciſſe, & Eccleſiam Dei penitus exſtinctam eſſe? Nequaquam, nam pii qui ſunt Eccleſia, ſæpe peccant graviſsimè, & tamen interim non deſinunt ad Eccleſiam pertinere. Grave ergo peccatum hos non efficit, ut quis de Eccleſia eſſe deſinat. Et ſic Adamus & Eva erant Eccleſia & ante lapſum & in lapſu & poſt lapſum.* Si iſta tibi non placent, ſis tu ergo ipſe Pelagii illius & Arminii diſcipulus, ad quos argumentum meum ſycophantikè ablegaſti. Diutius tecum agere piget. Autor tibi ſum, ut quamprimùm exactis feriis collegium ſumas apud illuminatiſſimum *D. Timotheum Verinum*, qui in controverſiis Theologicis te inſtituat, ne in poſterum tam turpiter impingas. Et ut te ex *Majori Gelaſio* convertat in *majorem Theologum & meliorem Chriſtianum.*

Hic ergo finis eſto ſecundæ partis Diſputationum noſtrarum de Theologia Hypothetica. Lectorem rogo, ut meminerit quod ſtipulor, me in poſterum in hoc ſcribendi genere calamo temperaturum, niſi talis mihi occurrat adverſarius qui triplicem hanc præſtet conditionem, 1. ut ſcribat ſermone Latino, quo ſcribere ſolent qui tractant controverſias Theologicas. 2. Ut nō larvata ſed aperta fronte ſcribat, nam qui fictorum-

fictorum nominum larvas quærunt sunt filii tenebrarum, qui lucem aspicere non audent, quia norunt opera sua esse mala. 3. Vt scribat candidè, statu quæstionis sincerè, ut sinceram decet Theologum observatio. Proindeque quæcunque mihi in posterum obvenient scripta Belgica, sycophantica, cavillatoria, famosis obtrectationibus omnium ordinum viris honestis injuriosa, ad decipiendum vulgum & seditionem excitandam comparata, eamque ob causam suppressis nominibus in lucem extrusa, debacchentur in me quantum volent, sciant eorum autores, me ne lectione quidem eà dignaturum, & non alia vatione quàm contemptu vindicaturum injuriam. Non enim à D. D. Curatoribus vocatus sum, ut cum larvis pugnem, aut libellis famosis legendis & refutandis bonas horas perdam, sed ut partes meæ professionis fideliter impleam, & doctrinam Orthodoxam juventuti inculcem & contra erroneas opiniones pro viribus tuear.

FINIS.